ORATIO PARAENETICA

A B

F. THOMA CHERUBINO

PELLEGRINO

Ord. Praedic. S. Th. M. in Neapolitana ſtudiorum Univerſitate in Cathedra textus S. Thomae Ordinario Anteceſſore, in Comitiis ſuae Provinciae habita, octavo Calendas Majas aerae Dionyſianae anno MDCCLII.

SI aetati noſtrae fingere non licet, jamdiu mihi in votis erat hanc dicendi occaſionem arripere, & in Provinciae noſtrae comitiis ad PP. Ampliſſimos numquam ſine laudis praefatione nominandos ad Sacroſancta munia obeunda ſelectos, graviſſimam concionem habere. In hanc ſpem veni, non ut audientium ſenſibus blandirer, & Provinciae inlata vulnera, ſi quae fortaſſe ſint verborum phaleris obducere, quum ex aſſentatorum numero ego fuerim numquam, neque ut viros optimos erudiendos adgrederer, ſed ut communem cauſſam agerem adjuvarem, & bonorum omnium ſive malorum fontem eumque potiſſimum oratione mea retegerem. Quamobrem puto quod nemo mihi ſuccenſeat, & me rei bene conſulturum ſpero, ſi illa dixerim quae & vos recto animo verſatis. Electores aequiſſimi quos pro communi bono fovendo augendoque Moderatrix rerum omnium Divina Sapientia in concilium egit, reſcire juvabit vos ad-

vocatos eſſe ad rem tractandam hominum opinione majorem, ut de Paſtore optimorum virorum coetui praeficiendo, ad Provinciae jura moderanda, judicio veſtro ac ſollicitudini in praeſentia concreditum eſſe exiſtimetis. Summus honos Ampliſſimis viris deferendus, ſed prudentum ſententia, periculoſae aleae opus plenum eſt: (*a*) quoniam haut datum eſt vobis ſuffragia pro libidine ducere, & in iis ferendis hujus vel alterius genio indulgere ut inanem gratiam promereamini, & retia jacere modo ad dexteram, modo ad laevam, prout muneris vel dignitatis comparandae ventus impulerit. Hoc profecto foret commune bonum illud impetere, ab imo ſuffodere, quod privato commodo praeſtat quam maxime, & ſanctas juſtitiae leges pariter ac religionis turpiſſime violare. (*b*) In hanc foveam miſere prolabuntur, qui neſcio quo ludente conſilio illum ceteris meliorem eſſe judicant, quem ſibi ipſis valde profuturum eſſe crediderint, quive rerum divinarum cura neglecta, perennem vitam ſe tradacturos rati, eam rerum ſeriem animo moliuntur, ut temporum ſucceſſu ii praeficiantur quos eorum placitis velificari noverunt. Nequiſſimi canones, quos ſumma Dei miſeratione propulſatos, interemtos, funeratos vidimus, legum omnium clamoribus damnabantur. (*c*) Lectiſſimi PP.

Ange-

(a) Siricius Papa *Epiſt.* III. *Eligendus ſit probatus judicio, non favore: ſuſceptus veritate, non gratia.*

(b) S. Auguſt. *Epiſt. CLXXIII. ad Hierony. olim XXIX. Nec ſane quantum arbitror putandum eſt eſſe leve peccatum in perſonarum acceptione—quis enim ferat eligi divitem ad ſedem honoris Eccleſiae, contemto paupero inſtructiore atque Sanctiore? Suffragia itidem duci non debent carnis affectu. Cap. Ut noſtrum. Capit. Ut beneficia. Adcedit Juſtinian. in Novella CXXIII. cap. XVIII. Novella LXXXVII. cap.* II. *Cod. de Epiſc. & Cleric. L. XLI. Vota debent eſſe ſincera & gratuita. cap. in nomine Domini. Removendum eſt motivum vel mentale retributionis. Cap. ultimo de Simon.*

(c) *Jure divino, naturali, & poſitivo. Qui minus idoneum eligit praeſtantiore neglecto, peccat contra juſtitiam legalem, & diſtributivam. Cap. Cum dilectus de conſuetudine. Hinc IV. Regum Cap. X. eligite meliorem. Eligendus eſt autem dignior non poſitive, ſed comparative. Paſſerin. de Elect. can. cap. XXX.*

Angelorum agmine ſepti qui ſacris electionibus interſunt, ad effugiendam maculam omnem vel leviſſimam, veſtra ſtudia eo conlineare debent, ut humana omni ratione ſepoſita, ceteris digniorem Provinciae bono excitando magis opportunum praeficiatis, quem vos in poſtremo vitae diſcrimine conſtituti, interiori ſpiritu non reflante renunciaretis. (*d*) Illum ſeligatis oportet qui forma gregis factus, concreditam ſibi plebem voce & exemplo valeat informare, (*e*) & caritate inſtructus imbecillitati noſtrae compati poſſit, ut ſi tamquam homines ſauciatae naturae pondere gravati ab virtutis ſemita deflexerimus, nos in lenitate & aequitate corripiat, ejuſque monita tamquam curantis medicamina complectamur. Qui Provinciam luſtrando cuncta ſcrutetur, (*f*) ſpinas et lappas veteratoris opera inſeminatas evellat, & concrediti ſibi pecoris vultum agnoſcat. Qui venerabilium legum obſervationem, qua gentis Deo devotae juſtitia regitur, (*g*) tueatur promoveatque, quod in rem

(d) Innoc. III. *relatus in Capit.Conſtitutis extra de Appellat. laudat Epiſcopum Metenſem qui Praepoſitura vacante, Canonicos ſuos adjuravit per Patrem, filium & Sp. S. ut ſecundum Deum eligerent magis utilem, & idoneum.*

(e) *Quoniam Praelati nomine veniant quoque Epiſcopo inferiores, cap. Relatum de Cleric. non reſiden. Praelatorum operationes in exemplum trahuntur a ſubditis. Cap. Magnae. quod enim agitur a Prealatis ſupra de Voto. Celebre illud Caſſiodori* III. *Ethic. facilius eſt errare naturam, quam diſſimilem poſſit Princeps formare rempublicam. Quam ob rem Eccleſiaſt. X. qualis enim Rector Civitatis, tales & habitantes in ea.*

(f) *Praelati ad corrigendum ſubditorum exceſſus prudenter, & diligenter intendant. Trident. ſeſſ. VII. de Reform. Capite Finali de exceſſib. Prealat. Quare Praelati qui ſubditos ſuos non corrigunt, dicuntur illos occidere. Cap. licet Heli de Simon. item Praelatus per ſeipſum viſitet oportet. Trident. ſeſſ. XXIV. cap. III. Haec obligatio ab divino jure repetitur. cap. ex parte de Cleric. non reſiden. id cauſae fuit ut ſynod. lateran. M. Monaſteriorum inſtaurationi conſuluerit Provincialibus comitiis ſingulis triennis habendis, & crebri viſitatione. Can. XII. Ignorantia non excuſat in his quae ex officio quis tenetur inquirere. cap. Nullus de Regular.*

(g) *Leges dicuntur ſanctiſſimae l. 1. ff. de variar. ex extraordin. cognit. Vocantur ſacratiſſimae. Cod. de legibus.*

conferet plurimum ſi Provinciae domibus praeficiat viros optimos, paci ſervandae, & Dei gloriae amplificandae pares, quos obedientiae merito & precibus interdum intrare compellat. (*h*) Honos alit artes, omnesque incenduntur ad ſtudia gloriae, ſi laboris & meriti aeſtimationem habitam eſſe proſpicient. Gentibus quoque quae legem ignorabant haec ſolertia ſtetit, Pharaone dicente ad Joſeph: (*i*) ſi noſti in eis viros induſtrios, conſtitues eos magiſtros pecorum meorum. Sed neſcio quem obmurmurantem, & tacite obſtrepentem audire videor, ubi nam hoſce viros ſibi ipſis non canentes, ad virtutem a natura ipſa comparatos inveniemus? Abſit verbo invidia. Invenientis ſi perſonarum acceptione ſemota, probatum ſit vobis illud Apoſtoli:(*k*)dum omni modo ſive pro occaſionem, ſive per veritatem Chriſtus annuncietur,& in hoc gaudeo,ſed & gaudebo. In illum poſtremo oculos conjiciatis, cui praeter ingeniorum aleam alter doctrina, honeſtate, prudentia non ſit praeferendus, quum nimia comitas, vel nimius rigor poſſint ex aequo perdere gentem. Sed teterrima omnium malorum colluvies fidelium coetui impenderet, (*l*) ſi ad animarum regimen quod ars artium eſt, indigni adſumerentur: pericliтantibus deeſſet fides, bonorum columen deficeret, mali demum ad quaecumque vitia Moderatoris exemplo raperentur, quin etiam tamquam ad interitum ruerent voluntarium. Quare rogo obteſtorque ut celeri voluntatis conſenſione convertamini ad Divinae vo-

(h) S.Ambroſius *epiſt.XXV. ad Eccleſiam Vercellenſem deſiderat Paſtorem id genus,in quo vita formatur omnium,& modeatur omnibus.*

(i) *Geneſis Cap. XLVIII.*

(k) *Ad Philipp. I.*

(l) *Eccleſiae Dei nihil tam pernicioſum, quam ut indigni ad animarum regimen vocentur.cap.Nihil de Elect.At qui ſcienter indignum eligunt, privantur illa vice jure eligendi.Paſſerin.de elect.cap.XXIV.q.VIII.n.LXXII.*

voluntatis interpretem, Doctorem noſtrum S. Thomam : (*m*) oportet eligere eum qui ſit melior ad hoc officium. Convertamini ad petram unde exciſi eſtis Praedicatoriae familiae Parentem S.Dominicum, recti regiminis normam conſtituentem : (*n*) Ferveat in cordibus veſtris animarum lucrandarum zelus ardens & acutus, quem regat ratio, dirigat diſcretio, & temperet converſatio manſueta. Convertamini poſtremo ad principem illam actuum noſtrorum regulam, animo volventes quod in ſacro foedere traditum eſt : In medio Deorum Deus dijudicat : morem gerentes Apoſtolis qui orantes ſortes dederunt. (*o*) Sed cur in rem apertiſſimam monumenta congeram, quam Synodi, PP. jura gentium notiſſimam eſſe crediderunt? Hac rerum agendarum caſta methodo conſtituta, in ſocietatem noſtram velut prono alveo fluent quae ad vitam vel regularem, vel civilem componendam, non tam opportuna, quam neceſſaria eſſe videbuntur, praeſertim incrementa ſtudiorum, quae univerſae Chriſtianae rei, cun-

---

(m) S.Th.22.*9.LXIII.art.II.ad III.Quantum ad conſcientiam eligentis, neceſſe eſt eligere meliorem vel ſimpliciter, vel per comparationem ad bonum commune. Quaeſt.CLXXXV.art.III.Poſſibile enim eſt quod illi qui eſt in Caritate perfectior deficiant multa, quae requiruntur ad hoc quod aliquis ſit Praelatus idoneus, quae in alio qui eſt minoris caritatis inveniantur, ut ſunt ſcientia, induſtria, potentia & aliud hujusmodi. Unde non oportet ſemper eligere meliorem ſimpliciter, ſed eum qui ſit melior ad hoc officium. Haec doctrina conſonat verbis datis in cap. Eam te de aetate ex qualit. & ord.praefic.*

(n) *Hanc epiſtolam Encyclicam ad Frates Provinciae Poloniae datam, poſt comitia Generalia Bononiae celebrata an.MCCXXI.e vetuſtiſſimo cod. MS.ex ſcripſit. N. Abraham Bzovius, & ex eo retulit Thomas Malvenda in Annalibus ord. pag. 336. eam vindicat Natalis Alex. in Hiſt. Eccl.S.P.Dominicum primae notae Theologum fuiſſe, univerſim ſcriptores tradunt, nec inficias ivit Guillelmus Cave Anglo--Calvinianus in Proſpectu ſeculi Scholaſtici ſuae Hiſto.*

(o) V.Beda *ſecul.VIII.demiſſe & abjecte nimis de S.Matthiae promotione ſentit, ſcribens diſcipulos non extitiſſe ab culpa immunes, quum rem tanti momenti ſortibus demandaverint, ſed confertiſſima Patrum nubes contendit, electivis ſuffragiis duos præ ceteris Apoſtolico faſtigio exiſtimatos eſſe digniores. Succinunt ſequiores epochae expoſitores quos laudat Johannes Cabaſſutius in Notitia Eccleſiaſtica.*

cunctarum Religionum, potiſſimum familiae noſtrae extiterunt ſemper praeſidia, ornamentum & Decus. Ignorantia cunctorum mater errorum. (*p*) Compertam habetis luctuoſam ſcenam illam lacrimarum imbribus diluendam, nonnullos bonarum artium ſtudio, & ſanctae converſationis canoni nuncium miſiſſe, ut ceteris ſint impedimento, & ex quo viri boni indoluerunt ſemper, ut moerore conficior & ego. Scopuli profecto qui in frequente ſocietate offenduntur; ſed quamvis declinari non poſſint, poterunt tamen aliqua ex parte Rectoris poteſtate comminui, & diſciplinae impatiens, Religionis oneri ferendo humeros ſubmittet, ſi coetui noſtro praefectum viderit, qui Iſraëlitarum primi Regis exemplo,ab humero & ſurſum, doctrina,moribus,fortitudine emineat ſupra ceteros homines.Conſtantiam ſuam Chriſtianamque pietatem oſtendet quam maxime,ſi illud unum animo ſpectet,ut conſtituti in Socierate gradus ſerventur,ut unicuique ſuus honor deferatur,ut denique pax quies tranquillitas,quae potiſſimum in muneribus recte impartiendis poſita eſt, componatur: ne locus qui pacis & quietis pleniſſimus fore videbatur, turbatis officiis, diſſentionibus concertationibusque impleatur. Sententiae itaque veſtrae Provinciae noſtrae fortuna innititur, ut extrema pernicies quam Deus avertat, vobis modo accepta referretur. Veriſſime dicam, ferenda ſuffragia virtutum ſemina alere augere poſſunt, ad perfectam uſque maturitatem ubertatemque perducere, & diſpergere lapides Santuarj in capite omnium platearum, ut Societas Sancta confuſionis undique nebulis offuſa, in triſtitia ſedeat, quae pridem ſummorum virorum foecunda parens, nunc priſtina magnitudine videat ſe miſere decidiſſe. Selectiſſimam vineam quam Dominus mercatus eſt ſanguine ſuo, majores noſtri morum inno-

(p) Concil.Tolent.*IV.coactum anno DCXXXVI. Ignorantia cunctorum mater errorum; maxime in Sacerdotibus vitanda eſt qui docendi officium in populis ſuſceperunt.*

Digitized by Google

innocentia, ſeveriores diſciplinas tradentes, Dei verbum evulgantes, improbo ac diuturno labore excoluerunt, prae ceteris diripiunt qui cuſtodem ponunt quem deſidem eſſe noverunt, & dum plus aequo proprio genio indulgent, irruentibus in eam malis omnibus viam latiſſimam ſternunt. Sed mihi videor in ſiluam ligna detuliſſe, & viris praeſtantiſſimis ad gloriam comparandam, commune bonum excitandum vehementer incenſis calcaria exhibuiſſe. Quare & nos hic coacti, univerſa Provincia, Praedicatorum familia ubique gentium propagata, omnes denique viri boni, Paſtorem optimum muneri obeundo magis idoneum, a probitate prudentiaque veſtra votis omnibus praeſtolantur. Praeclariſſima geſta anteceſſoris Moderatoris R.A.P.M. F. Joſephi M. Fiorillo ad animum excitandum defluant, conſulteque agendum voluntates veſtras alliciant. Vereor ne quis ingrati animi vitio me inurendum putet; quamobrem extremis ut ajunt digitis attingam quae vobis non latere opinor. Vir Cl. etſi adverſa valetudine affectus, Familiam noſtram ea ſollicitudine, honeſtate, exemplo monitiſque ſanctiſſimis moderatus eſt, ut nulla futura ſit tam virtuti inimica poſteritas, quae de regiminis ejus methodo, caducarum rerum contemtu, humanitate, aequitate, dexteritate deque ceteris immortalibus virtutibus conticeſcet. Optimam ſpem habeo quod Rector futurus ab prioris Monitoris integritate oculos ſuos non ſit averſurus, ſintque duo se mutuo reſpicientes, ad inſtar Cherubim qui extremas arcae foederis partes occupabant: Nolo Sermone diffluere, & paraeneticae Orationi finem impono. Eligendus animo verſet se ad crucem bajulandam hodierna die vocari (*q*). Prudenter de-

(q) *Praelati ſunt quaſi ſignum ad ſagittam. Cap. Qualiter & Quando de accuſat. & can. ſunt Nonnulli 2. q. 7. ait Evariſtus Papa: ſunt nonnulli qui Praepoſitos ſuos perverſe reprehendunt, ſi vel parum ipſis moleſte extiterint. jure cautum fuit in Synodo Laterau. Magna, ut vix audirentur qui Praelatos ſuos delicti incuſant, ne concuſſis columnis corruat aedificium.*

declinet blandientem, patienter ferat adverſantem. (r) Suae non conſulat fortunae: frequenter ſit in officio: honorem impertiat judicio non voluntate, ut promerita Religioni laus ſuboleſcat; dum me eſto cothurnatae eloquentiae praeſtantia deſtitutum noverim, in eo tamen honoris culmine me poſitum ſentio, ut ad Senatum Ampliſſimum, & majores natu Provinciae concionem habuerim. Dixi.

(r) *Monitum eſt Thomae a Kempis lib. de imit. Cbriſti. ſed qui doctus audit, boſce libros adjudicat Jobanni Gerſen ex ord. S. Benedicti.*

VA1 1518483

Digitized by Google